

lis apostolis in prædicanda fide, et moribus informandis attribuitur, ad singulos eorum successores pervenit, aut pervenire debuit, cum istorum auctoritas non extendatur per se extra suos subditos et ecclesias particulares, uti mox dicam; hos verò et has errare circa fidem, non repugnet. In his ergo infallibilitas certa non est, nisi ea conditione, si concordent cum fide Ecclesiæ catholicæ, seu cum romana, quacum totam Ecclesiam catholicam consentire necesse est, uti ex Irenæo explicavimus (1).

2. Apostolorum missio et potestas immediatè a Christo profecta est, nec ullis finibus locorum circumscripta: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creature* (Marc. ult.). Sic enim in illis Ecclesiæ initiis ex mente Christi opus erat. At cum postmodum apostoli episcopos consecrarent, eos certis alligabant locis, certamque iis portionem gregis assignabant. Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit, aiebat Paulus; et Petrus: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei*. . . . et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam (I Petr. V, 2, 4). Quæ quidem verba satis indicant usque ad adventum Christi iudicis præstò futuros esse pastores gregis Dei et permansuram pastoralem potestatem. Ea diocesium, uti hodie vocamus, assignatio et alligatio ad eandem manifestissimè apparet ex Apocalypseos c. II, III, ubi de septem stellis et septem candelabris, id est, septem Asiæ episcopis et ecclesiis particularibus agitur. Hinc ad successores non transit, quod apostolis competebat jus fundandi novas sedes episcopales, consecrandi episcopos, nisi id ipsum facere jussi essent auctoritate apostolica, uti Paulus Tito in mandatis id dederat, *ut constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi* (Tit. I, 5). Si quid extra diocesim suam susceperunt episcopi, id vel consensu eorum factum est, a quorum id arbitrio pendebat, vel ex charitatis lege, vel denique cum congregatis synodis in medium consulere de re communi Ecclesiæ universalis, aut amplioris districtus.

3. Neque donum miraculorum ordinaria lege ad successores apostolorum transmitti debuit; nam, ut sapientissimè animadvertit Gregorius M.: *Hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Ut enim ad finem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda. Quia et nos, cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videamus; et si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est enim, quod Paulus dicit: Linguae in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus* (Hom. 29 in Evang. post initium). Nemo hominum jus habet exigendi a Deo portenta aut certum divinæ revelationis modum; in illos verò, qui in media cæcutiunt orthodoxæ veritatis luce, illud effatum cadit divini magistri: *Neque, si quis ex mortuis surrexerit, credent* (Luc. XVI, 31).

4. Indicatis extraordinariis apostolatus juribus ad ordinaria transeamus, quæ in successores apostolorum ob permanentem Ecclesiæ finem derivari debuerunt, ut nempè usque ad consummationem sæculi una esset, sancta, catholica et apostolica.

5. Quemadmodum unitas a Christo constituta poscebat, ut apostoli Petrum tanquam caput totius Ecclesiæ et universi gregis pastorem, eximia præditum po-

(1) Ex celebratissima Irenæi sententia omnium particularium ecclesiarum fides consentire debet cum romanæ Ecclesiæ fide; et secundum observationem quamdam S. Augustini, romana fides non potest non consentire cum fide cæterarum ecclesiarum. Sic enim ait I. I, c. 2, in Julianum, loquens de Innocentii I definitione contra hæresim pelagianam ad Africanos missa: "Quid enim potuit ille vir sanctus africanis respondere conciliis, nisi quod antiquitas apostolica sedes et romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia?"

testate agnoscerent; quam is reipsa exercuit (1); ita non poterant iidem ecclesias per provinciam instituere, nisi eadem Petrum tanquam *caput respicerent*, eidemque subicerentur. Luculentum testimonium præbet epistola viri apostolici et martyris S. Ignatii episcopi antiocheni scripta ad Romanos, quam hisce verbis orditur: *Ignatius Ecclesiæ dilectæ et illuminatæ per voluntatem illius qui vult omnia quæ sunt secundum charitatem Jesu Christi Dei nostri; quæ præsidei in loco romanæ regionis, Deo digna, decentissima, castissima et præsidens in charitate, Christi habens legem*, etc. Poscebat eadem unitas ut causæ graviores difficiliore ac ad communem præsertim Ecclesiæ disciplinam pertinentes ab apostolis, multoque magis a successoribus eorundem ad caput et principem Ecclesiæ referrentur; quod factum a Paulo in quæstione de rituum judaicorum usu animadvertit Petrus de Marca (Ibid. n. VII). Aliud exemplum ejusmodi relationis exstat in causa schismatis paulo post mortem apostolorum in ecclesia Corinthiorum exorti atque ad sedem apostolicam relati (2). Eadem unitas poscebat ut potestas singulorum episcoporum subordinata esset supremi capitis ac pastoris potestati, a qua in usu jurium et functionum episcopaliū intra diocesim pro temporum ratione temperaretur ac restringeretur; quemadmodum Paulus extraordinaria apostolatus auctoritate potestatem episcoporum Timothei ac Titi temperavit, ac restrinxit, prohibendo ordinationem bigamorum ac neophytorum, præscribendo qualitates ordinandorum, leges judiciales; evocando ad se majores natu, id est, episcopos ac presbyteros districtus ephesini.

6. Ut Ecclesia sancta esset et fideles sanctificarentur, necesse erat ut jus prædicandi doctrinam sanctam, reprobandi ac confutandi errores, dein ut potestas ordinis, ac jus ordinandi, ab apostolis in successores transiret, qui gregem suum doctrina, sacrificio, sacramentorum administratione sanctificare debebant.

7. Ut catholicæ censerentur particulares ecclesiæ, quibus apostolorum successores præerant, necesse fuit ut iidem cum adhærente grege in communione persisterent cum aliis unitate fidei et charitatis conjunctis, omnesque ac singuli velut glutino sacerdotum, ut Cyprianus inquit, inter se uniti in commune centrum catholicæ unitatis tenderent. In hunc finem gradus quidam episcopalis jurisdictionis introducti sunt, ut infra dicemus.

8. Apostolicæ Ecclesiæ conservandæ ratio exigit ut successores apostolorum, quibus doctrinæ depositum commissum est, de fide ac traditione judicandi potestate, et jure suffragii in conciliis gauderent; utque ipsi operarios, quibus indigent in pascendo grege suo, mitterent et auctoritate donarent, ceu legitimos ministros ex apostolica origine descendentes. Ad hæc vero ordinaria episcopatus jura exercenda opus est ut successores apostolorum potestate inspectoria, exsecutoria, legislativa ad regendum ac pascendum gregem pollerent; cui potestati certa subditorum respondet obtemperandi obligatio, ex jure divino proveniens (3).

(1) Supra § V. Nihil mirum quod Petrus in personas apostolorum non memoretur iudicium et potestatem exercuisse; nam status eorum, qui summa erant præditi potestate et a fide deficere a Deo eruditi non poterant, a supremæ in Petro jurisdictionis usu eos eximebat, quæ est animadversio Petri de Marca, in diss. de singulari primatu Petri, n. 5.

(2) Constant. in epist. rom. pontif. epistola I. S. Clementis ad Corinthios: "Jure quæritur, cur ecclesia corinthia ad Romanorum confugerit Ecclesiam, seditionis componendæ causa, nisi in ea superius quoddam magisterium et eminentiorem auctoritatem agnovisset, per quam dein pax Corinthiis feliciter revocata est."

(3) Hinc damnata Hussii propositio XV: "Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem sacerdotum Ecclesiæ præter expressam auctoritatem Scripturarum."

ARTICULUS V.

HIERARCHIA ORDINIS ET JURISDICTIONIS.

Potestas sacra in Petro et apostolis instituta, atque ad posteros transmissa duntaxat ea parte adhuc spectata est, qua illa ad jus ecclesiasticum publicum pertinet, sive publica est et rectoria, et velut in apice sacerdotii constituta. Sunt functiones sacræ et ministeria sacra, ad quæ tota episcopalis ordinis dignitate et potestate opus haud est; quæ tamen magnum numerum sacrorum ministrorum poscunt ob ipsam frequentiam et varietatem eorum ministeriorum, et infinitum credentium numerum, quibus eadem ministeria impendenda sunt. Ne igitur multitudine vilesceret dignitas episcopalis, inferiores gradus sacerdotii a Christo fuerunt instituti, atque officia arctioribus constricta limitibus. Cum tamen ob ipsam Ecclesiæ per amplissima locorum regionumque diffusionem non potuerit non ingens summorum sacerdotum, sive episcoporum numerus provenire: proinde factum est, ut inter ipsos inducerentur gradus quidam ac ordines jurisdictionis amplioris aut strictioris, ut sic inferiores ministri per medios, ac medii per superiores in communitate unitatis centrum traherentur, atque in id velut confluerent. Duo ergo, cum de subiecto potestatis sacræ generatim agitur, considerare necesse est:

1. Gradus ordinum episcopatu etiam inferiorum pro peragenda re divina, et obeundis ministeriis sacris, per quæ spiritualis ac privata populi fidelis utilitas et sanctificatio procuratur: quæ est *hierarchia ordinis*.

2. Gradus jurisdictionis pro regimine publico Ecclesiæ constituti non modò inter supremum pastorem qui universo gregi præest et pastores episcopos portionem gregis tenentes; sed etiam inter hos ipsos episcopos jure divino cætera æquales, sed ecclesiastica provisione non æqualibus jurisdictionis et potestatis publicæ exercendæ gradibus distributos: in quo *hierarchia jurisdictionis* sita est.

☞ Sed cum tam ordinis quàm jurisdictionis hierarchiam suum locum in hujus cursus juris canonici habeant, nihil amplius dictò in his prolegomenis exponere meritò judicavimus. ☞

ARTICULUS VI.

DE MEMBRIS SANCTÆ CATHOLICÆ ECCLESIE.

ARGUMENTUM.

§ I. *Membra Ecclesiæ, quæ.* II. *Sectariorum conventicula non sunt Ecclesiæ veri nominis.* III. *Causæ dissensionis eorumdem.* IV. *Tolerantia ejusque gradus.—Rationes tolerantie.*

§ I.

MEMBRA ECCLESIE QUÆ?

☞ Benè ac sapienter ab omnibus jureconsultis existimatum est priùs characteres proprios membrorum ecclesiæ definiendos et colligendos esse, quàm jura omnia quæ ad illos spectant elucidanda. Limina quædam omni juri sunt quæ nequeunt non tangi, quin umbris et ambagibus tot ædes involvantur; et hæc limina

in ecclesiastico jure in ratione societatis quæ inest Ecclesiæ quæ renda, satis nos monent de hujus societatis membris agendum esse, antequam exponere adeamus leges omnes juris universi quo illa regitur et gubernatur. ☞

Ex iis, verò quæ præmissa sunt, nunc demum id satis distinctè intelligi posse arbitrator. Ac 1. solemniter ab ipso Christo ritus est institutus, quo quis in regnum cælorum ingredi, id est, Ecclesiæ membrum evadere possit, debeatque: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei" (Joan. III, 5). De illis, qui per baptismum Ecclesiam non ingressi, nec ejus potestati subiecti sunt, Paulus ait: "Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare" (I Cor. V, 12). 2. Necessaria est unitas fidei, eaque publica, ut cap. VII ostensum. 3. Æquè necessaria est publica unitas charitatis et communionis. Hæc quidem omnia et externa et visibilia sunt, sicut ipsa Ecclesia, nempe et ceremonia baptismi, et professio unius fidei, et communio ex usu eorumdem sacramentorum, ac subiectione erga sacrum imperium. Sunt autem alia interna, nempe gratia et dona Spiritus sancti, fides et charitas. Quapropter in Ecclesia, seu in vivo corpore Ecclesiæ, alia sunt interna, alia externa, aptèque a doctoribus distingui solent inter ea, quæ velut ad *corpus visibile* Ecclesiæ, et quæ ad ejus *animam invisibilem* referenda sunt. Cumque generatim Ecclesia visibilis sit, uti homo, etsi anima videri nequeat; et cum præterea ipsa visibilis Ecclesia ab optimo ac divino Redemptore ad sempiternam hominum salutem sit instituta, ac instar medii ordinata ad finem; hinc fieri potest, ut prævalente salutis æternæ favore quispiam salvus fiat, quin reipsa ad visibile Ecclesiæ corpus pertineat, modò ad animam ac spiritum Ecclesiæ referri possit, ac si non re, saltem voto membrum Ecclesiæ visibilis sit. Id contingit in catechumenis, qui *fidem* internam et *charitatem* habent; item in iis, qui ab Ecclesia per excommunicationem præcisi acta pœnitentia ante decedunt, quam absolvantur. Ex his inferes:

1. Extra Ecclesiam sunt *infideles*, qui baptismo ac fide in Christum carent. In his alii sunt gentiles, ethnici vel idololatræ, alii Saraceni, alii Judæi.

2. *Hæretici publici ac manifesti*, qui suo ipsorum judicio condemnati dicuntur (Tit. III, 11); quia pertinaci rebellione ab Ecclesia se segregant, extra quam salutem consequi minimè possunt. Qui a sectariis ritè baptizati, ac inter eos degentes nulla formali hæresi se segregant, pro membris veræ Ecclesiæ habendi sunt, ac si gratiam habeant, salvi fiunt, non utique vi sectæ, cujus falsitatem non agnoscunt, sed quod sacramenta, quæ apud sectarios sunt, vera Ecclesiæ sacramenta sint; quæ ut Augustinus ait, filios parit etiam per uterum ancillarum. Neque istiusmodi homines nullo externæ subiectionis ac professionis vinculo adstricti sunt Ecclesiæ. Nam sacramentum fidei, quod permanet, eos vinculo satis visibili et externo veræ Ecclesiæ adstringit, ac subicit; manent ergo ejus membra, quoad per hæresim, schisma vel excommunicationem esse desinant. (Conf. § CCCLXXX, 5, 6) (1). Contra hæretici occulti, qui nempè fide et charitate interna destituti, eandem tamen fidem catholicam exterius profitentur, eadem sacramenta participant, iisdem pastoribus subiecti sunt, pro membris Ecclesiæ, ejusdem corpori adherentibus, sed aridis ac mortuis passim habentur: "Ex nobis prodierunt," inquit de illis S. Joannes (I Joan. II, 19), "sed non erant ex nobis;" ii nempè, qui divulgare ac publicè profiteri hæresim cœperunt; erant ergo de corpore Ecclesiæ; secùs ex ea prodire haud potuissent, sed non erant de anima ac spiritu Ecclesiæ.

(1) Vide notam primam ad prolegomena.

3. *Schismatici*, etsi veram retineant fidem, neque ad corpus Ecclesiae pertinent, a quo se segregant, neque ad animam et spiritum, quia concordiam et pacem abrumpunt.

4. *Excommunicati* non tolerati abscissi sunt a corpore Ecclesiae, tenenturque expiare delictum, utque recipiantur, omnibus modis quaerere.

5. Ab his omnibus segregandi sunt *fideles improbi* ac etiam reprobi, et peccatores, qui sola amissa gratia fidem, unionemque retinent, ac sine dubio ad Ecclesiam pertinent; in qua sunt zizania praeter triticum, pisces boni et mali, virgines prudentes et fatuae.

§ II.

SECTATORUM CONVENTICULA NON SUNT ECCLESIAE VERI NOMINIS.

Duae palmariae et inconcussae sententiae iterum praec oculis hic habendae sunt: 1. "Extra veram catholicam fidem nemo salvus esse potest (1)." Proinde neque extra veram catholicam Ecclesiam, eo, quo, praecit. § explicavimus, sensu. Quia in numero articulorum fidei etiam hic est: "Credo unam sanctam, catholicam, apostolicam Ecclesiam, communionem sanctorum (2)." 2. Hanc ipsam de fide et Ecclesia veritatem semper tenuit ac tenere debet Ecclesia romano-catholica, atque omnes et singuli, qui ejusdem membra sunt. Inferes:

1. Omnes aliae sectae extra Ecclesiam romano-catholicam non sunt Ecclesiae veri nominis, testibus antiquis patribus (3), imò ipso Spiritu sancto (Apoc. II, 9 et 13, et III, 9). Unde justa fuit imperatorum de conventiculis sectariorum indignatio, quod "ea audacter ecclesias nuncupare conentur (l. Arani 5, c. de haeret.); licet nomen christianorum sibi imponerint; attamen a christianorum se "fide et communionem separant, Dei judicio semetipsos subdi agnoscentes (Nov. 109, "princ.)

2. Qui ex una parte veram Christi Ecclesiam, ex altera sectas, et cum Ecclesia Christi, et secum ipsis pugnantem ponit, eandemque uti diversas gentes alteram ab altera independentes secundum principia juris gentium considerandas ait, aequè impiè, ac ineptè sentit. Nam primò, quomodo profana infidelium conventicula cum sacrosancta divini filii Ecclesia in comparisonem venire, ac pari jure cense-ri possunt? Sectae verò illae, quae rebellione nunquam purganda a vera Ecclesia defecerunt, nullo unquam tempore, nulla conventionem vel transactionem, nulla praescriptionem vel praesumptionem legitimam et justam evadere possunt, si de jure interno loquamur.

3. Notiones de autonomia, seu de libertate conscientiae, indifferentismo, ac tolerantia in jure privato fiximus (§ XXXIII), (4) multaque de vera religione inquirenda, deligenda, ac tenenda posuimus principia non perfunctoriè expendenda. Illud nunc addendum, si quis palmarias hasce sententias de fide ac religione, quas hoc loco indicavimus, omnibus modis tuetur, ac praedicat, non magis *intolerantia*, ut vocant, accusari potest, ac apostoli, et apostolici viri, omnesque orthodoxae Ecclesiae patres. Qui carum veritatum praedicationi refragatur, revera orthodoxae et catholicae fidei praedicationi refragatur.

(1) Ex formula Tridentina professionis fidei.

(2) Ex symbolo Nicæno-Constantinop.

(3) S. Hieron. in Dialog. adversus Luciferianos.

(4) Vide notam in pag. 14.

§ III.

CAUSAE DISSENSIONIS EORUMDEM.

A veritatibus, quas proposui, nemo catholicorum, vel latum unguem discedere salva salute unquam potest: "Nos enim," inquit S. Augustinus (Epist. 48, ad Vincentium), "apostolus ita cautus reddidit, ut etiam Angelum de caelo aliter nobis "evangelizantem, praeterquam quod accepimus, anathema debere esse praecipere-rit." Sed, dicunt, qui extra Ecclesiam sunt, aliter sentiunt, innocuo nempè vel inculpato errore, intellectus vitio, non pravæ voluntatis, obscuritate et difficultate rei, non animi obstinatione, educationis et praedictorum vi, non horrore veritatis. Ita quidem sectarios excusant, et cum generatim loquantur, ita excusant, ut eodem tempore accusent Deum, ac Dominum nostrum Jesum Christum, qui certam religionem praescripserit, certamque constituerit Ecclesiam penitus necessariam hominibus, ni aeternum miserum esse velint: nec tamen qualis sit et quibus iudiciis cognosci, atque a falsis sectis discerni ea possit religio et Ecclesia, providerit, notumque fecerit humano generi. Quid ergo? nostra primum aetate, qua obscuritas rei, et bona mens sectariorum obtenditur, haereses, errores ac schismata exstiterunt? An eadem inde a principio constituta Ecclesiae vexarunt, ac turbarunt, diviseruntque Ecclesiam? Enimverò oraculum divini Spiritus: oportet esse haereses: necesse est venire scandala, nullo non tempore per saecula decem omninò et octo ita impletum novimus, noruntque ipsi, qui hodie sunt, sectarii ut dubitandi locus esse non possit. Sed an tum quoque, cum ipso Ecclesiae principio et apostolorum, qui eisdem proximè secuti sunt, virorum apostolicorum aetate talia usuvenirent, omnis errorum, haeresum, ac schismatum causa in obscuritatem rerum, veræque religionis discernendae difficultatem fuit conjecta? absit, planè absit. Hoc igitur agamus, ut errorum, dissensionumque causas proferamus in medium, et honorem divi Servatoris vindicemus, in quem eo excusationum genere, si ritè expendatur, culpa omnis conjicitur.

1. Generatim de infidelibus aequè, ac deficientibus a fide illud nos docent sacrae litterae: "Hoc est iudicium (nempè justa condemnationis, non excusationis causa) quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera" (Joan. III, 19). "Vobis, aiebat Paulus ad Judaeos, oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud et indignos vos iudicatis vitae aeternae, ecce convertimur ad gentes (1)."

2. De iis, qui aliter docent, ac sancta Ecclesia, culpam erroris esse ait, superbiam, deliria humani ingenii, et contradicendi studium: "Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus superbus est, nihil sciens, languens circa quaestiones et pugnas verborum" (I Tim. VI, 4).

3. "Quam (bonam conscientiam) repellentes circa fidem naufragaverunt (I Tim. I, 19). Attendentes spiritibus erroris... in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam" (Ibid. IV, 1, 2). Ita homines, quos catholicae exhomologeseos necessitas terret, et conscientia scelerum cruciat, ejus tranquillandae subsidium in errore quaerunt, graviore nempè malo.

4. Alia assignatur erroris causa, ratio commodi temporalis: *docentes quæ non oportet turpis lucri causa* (Tit. I, 11); *existimantium, quæstum esse pietatem* (I

(1) Act. XIII, 46. Add. Act. ult. 25, et Rom. X, 16.

Tim. VI, 5). Sed si excutiamus omnes locos novæ legis, in quibus de hominibus agitur a veritate fidei, et Ecclesiæ unitate alienis, ubique deterrimis depictos coloribus videmus, tanquam homines non magis veritate, quam voluntate bona destitutos.

5. Novi, haud parum inter sectarum primos auctores, et posteriores ipsorum sectatores interesse, eos imprimis, qui in errore quodammodo nati, certe educati sunt. Sed docet nos Augustinus, quem experientia docuerat, genuinas causas, ob quas in errore persistentes, qui istiusmodi sunt, redire ad Ecclesiam, veritatemque renuant. Primo igitur *humano*, ut vocant *respectu* eos absterreri ait: "Quam multi, quod certò scimus, jam volebant esse catholici manifestissima veritate convicti, et offensionem suorum reverendo quotidie differebant" (ead. epist. 48 ad Vincent).

6. "Quam multos non veritas, sed obduratæ consuetudinis grave malum colligabat, ut in eis compleretur divina illa sententia, verbis non emendabitur servus durus, si enim et intellexerit, non obediet." Sola igitur errantium instructio ex mente Augustini non sufficebat ad eos convertendos, sed opus erat duris ac severis imperantium legibus; unde addit S. doctor: "His omnibus harum legum terror quibus promulgandis reges serviunt Domino, profuit."

7. "Quam multi præterea putabant, veram Ecclesiam esse partem Donati; quia eos ad cognoscendam catholicam veritatem securitas torpidos, fastidiosos, pigrosque faciebat."

8. "Quam multis aditum intrandi obserabant rumores maledicorum, qui nescio quid aliud nos in altare Dei ponere jactitabant." Hoc quidem loco causa impedite conversionis unionisque in calumnias contra doctrinam et doctores catholicos a maledicis sparsas conjicitur. Sed quid de illis dices, qui in media catholice prædicationis luce cæcutiunt?

9. "Quam multi nihil interesse credentes, in qua quisque parte christianus sit, ideò permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, et eos inde discedere atque ad catholicam nemo transire cogebat." Atque hæc quidem ratio ad *indifferentismum* spectat, quo nihil interesse non pauci putant, cui christianorum parti adhæreant, modo Christiano saltem nomine gloriari possint. Habes rationes genuinas erroris ac scissionis permanentis, quas non indulgentia errantibus exhibita, sed austeritate, feliciter submotus fuisse Augustinus scribit.

§ IV.

TOLERANTIA EJUSQUE GRADUS.—RATIONES TOLERANTIÆ.

Expositis dissensionum causis genuinis, duo mihi breviter evolvenda esse video, nempe quales *gradus* insint vel inesse possint in tolerandis infidelibus vel sectariis, qui ab Ecclesia defecerunt: dein cujusmodi sint *rationes* illæ, quas scriptores nonnulli ætatis nostræ, tolerantia seu ipsorum potius sectariorum patroni et advocati in medium proferunt, atque exaggerant. Ac *tolerare* quidquam vi notionis aliud non est, quàm ferre, ac permittere, ut sit, quod malle non esse; cum idem mutare, aut tollere integrum nobis haud sit, aut non expedire videatur. Qui binas illas, quas præposui, veritates tenent animo: "Nemo extra veram catholicam fidem salvus esse potest; idque ipsum prædicandum est in vera Christi Ecclesia; qui, inquam, hæc immutabiles veritates firmissimè, ut par est, tenet animo, ac profitetur ore, quique gravissima naturalis et christianæ legis officia hominis erga

hominem cordi habet; nihil non aget, tentabitque, ut, qua potest, via ac ratione ad veram fidem, et Ecclesiam Christi alios pertrahat, errantesque a sempiterna retrahat miseria. Igitur ægrè feret animo, si errantes videt, suumque in exitium ruentes: et si verè eosdem amat, nullum seu lene seu asperum intentatum relinquet remedium, quo miseris, cæcisque hominibus opituletur: neque illos tolerabit omninò, nisi insuperabili cogente necessitate, præsertim cum a morbidis ovibus etiam sano gregi periculum impendere erroresque religionis instar cancri serpere divino oraculo didicerit. Ea vero incumbente tristi necessitate, *quatenus* tolerare debeat, diligenter expeadet; insunt enim in tolerando istiusmodi ferè gradus.

1. Cultum idolorum ac dæmonum et mahumedanam superstitionem, christiano nomini infensissimam certò non feret quisquam christianorum principum in ditione sua. Cur Judæi tanquam mancipia christianorum tolerentur, probabilis ea est ratio visa non modo principibus, sed ipsi etiam Ecclesiæ; eoquod a vilibus his hisce ejectionis nihil periculi Ecclesiæ vel reipublicæ metuendum sit, iidemque de impletis vaticiniis veteris Testamenti irrefragabile testimonium ipsa sua calamitate ac cæcitate præbeant; ac præterea, ut S. Augustinus inquit (1), *tamquam capsarii nostri nobis serviant; quia per eorum codices alios infideles convincimus*. Multa tamen tum sacra tum politica potestate caventur, ne quid injuriæ ac detrimenti sacrosancta religio et publica securitas a superstitione judaica capiat (2).

2. Communicatio hominum inter homines aut res sacras ac divinas respicit, aut politicas, aut familiarem vitæ consuetudinem. Cujusvis genera modique sunt varii: ac uti tolerantia ad plura et majora, vel pauciora levioraque se exporrigit, ita gradus habet.

3. Quæri potest, quæ præ cæteris sectis a vera religione alienis tolerari debeant; non sunt eæ ejusdem formæ et instituti; ac fieri potest, ut ob placita sua, principaque, quæ fovet, altera præ altera majorem reipublicæ aut Ecclesiæ perniciem, vel periculum creare queat. Illud tamen vir prudens animadvertet, rationes eas, quas tolerantia patroni jactitare solent, fere tales esse, ut, si quid valent, omnis sectarum colluvies citra discrimen admitti debeat.

4. Sine dubio aliter sentiendum de infidelibus vel a catholicis subditis, qui ante existunt in ditione, quam princeps christianus capit, aliter de introducendis iisdem in regionem veræ fidei penitus addictam; quæ *superinductio falsarum sectarum* foret; sanè non perindè est seminare zizania, et fortè prognata in agro tolerare, vel non evellere: eo quod vel dignosci nequeant a tritico, vel cum isti sint implicata, sine periculo ipsius tritici evelli non possint.

5. Non perindè est, patienter ferre lapsos, hærentesque in errore; et stantibus in vera fide liberam labendi ac desciscendi a vera fide copiam ac facultatem dare, salvis juribus ac rebus, quibus antea gaudebant.

6. Qui, ut in ditione degant sectarii, tolerat, non continuò permittit, ut publicè exerceant religionem falsam, ut fana construant, errorum magistros habeant, publicè sectam doceant, libros imprimant, conventicula cogant, sepultura publica gaudeant.

7. Nec, si tolerantur, protinus orthodoxis exæquari censendi sunt juribus et favoribus civilibus; nec ad munera et dignitates reipublicæ, et gerendos magistratus, capiendas hæreditates existimari habiles debent.

(1) S. Augustin. super, Psalm. 40.

(2) Videantur constitutiones 117. Tom. I 28, et 38; t. 2, Bullar. Benedicti XIV.

8. Rationum quarundam momenta nunc ponderanda sunt, quibus tolerantia præcones, scriptoresque hodierni non pauci illudunt hominibus imperitis, bonæque mentis; neque enim omnes catholicos viros ita stupidos debent fingere, ut, quorum evadere tentent, aut quo animo erga sacrosanctam religionem, atque unitatem, ac unitatis centrum sint affecti, non persentiscant, seseque fallacibus verbis decipi facillè patiantur. *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*, inquit divinus Spiritus (Prov. I, 17).

9. "Totum, quod hæretici ac schismatici peccant, errori intellectus, non prævitiæ voluntatis tribuunt: porro intellectus inquit, cogi non potest." Confer imprimis dicta § penult. Dein ita quidem omnem hæresum ac schismatum sæcem debebunt tolerare. Ignorant ergo in iis, quæ obscura, quæque supra rationem sunt, ab imperio voluntatis pendere intellectus assensum? Ignorant, fidem meritoriam esse, proindeque subjectam libertati? Anne illud non expenderunt: *in captivitate redigi debere omnem intellectum in obsequium Christi* (II Cor. X, 5). Dicentne, Paulum quoque tyrannidem ac dominatum exercuisse in mentes fidelium, cum ista scriberet, adderetque? *in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam*. Atqui instituta a Deo sacra potestate, concessoque divinitus jure cum infallibili auctoritate declarandi, proponendique divinam revelationem, non modo fieri potest, sed necesse est, ut in captivitate sese redigat omnis intellectus, et divinæ revelationi ab Ecclesia propositæ se subjiciat, præstito assensu interno eoque immoto.

10. "Charitatem dein commemorant, quæ alterum alterius onera portare jubet, veniamque errorum et dare et petere." In hunc igitur modum cogitant; pro certissimo et indubitato habemus, si in ista secta, scissioneque obdormiscat frater, æternum miser futurus est; sed cum ille somnum suum amet, charitas juvet, ne quid molestiæ ipsi inferam, sed magis æternum perire sinam. Ac videtur id charitatis genus non absimile illi quod meretricibus exhibetur, inito aut certe non disrupto turpi commercio, ne forte contristentur. Quantam hæc charitas injuriam infert castissimæ Christi sponsæ, Ecclesiæ, cui fœdissimæ meretriculæ associantur? Tantumne valebit hæc charitas, ut tutos reddat pastores contra exprobationem divini judicis: "Quod infirmum fuit, non consolidastis, et quod ægrotum, non sanastis, et quod confractum est, non alligastis, et quod abjectum est, non reduxistis, et quod perierat, non quæsiistis (Ezech. XXXIV, 5). Charitatis istius umbræ etiam *pacis* vocabulum jungunt, quasi fessi pugnando, cum nunquam arma strinxerint pro tuenda religione, ac Dei causa: "Melius et optabilius est egregium bellum," inquit Gregorius Nazianzenus, "pace impia et a Deo distrahente."

11. "Aiunt viros esse honestos ac bonos, qui alieni sunt a catholica professione." Idem Bossuetio jam dudum objicere protestantes, quibus ille respondit, eam prohibitatem tantis encomiis evecctam, cui submissio erga Ecclesiam non jungitur comes, re ipsa aliud non esse, quàm subtilem et periculosam hypocrisim: "Cur, inquit, non etiam hoc pertineat ad doctrinam morum, atque ad partem cultus divini si quis captivet intellectum reverentiæ causa erga mysteria humanæ menti incomprehensibilia, cum hæc captivatio sacrificium quoddam sit, humanæ naturæ non parum difficile, et valdè perfectum? Et cur ea captivatio non referri mereatur ad actus practicos charitatis, si quis veros christianos reducere studeat ad unam fidem, exhibendo obedientiam erga Ecclesiam eandem et extinguendo dissensiones, inimicitias, amaritiam, et alia mala hujus naturæ, inter quæ S. Paulus etiam numerat hæreses et sectas, tanquam fontes perpetuos divisionum, quas

"Spiritus Jesu Christi vult extinguere? Hoc tamen ipsissimum est, quod ejusmodi christiani, qui dicuntur perfecti, parum curant: solum enim loquuntur de modo benè vivendi; ac si modus benè credendi non esset fundamentum bonæ vitæ (1). "Addam locum epistolæ catholicorum episcoporum e concilio cirtensi, cui S. Augustinus interfuit ad donatistas: Quisquis, inquiunt patres, ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelerere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum (2)."

12. *Necessitatem tolerandi sectas falsas non raro oggerunt*. Non loquor de pactis publicis, quæ quidem sanctè servanda esse, ex iis intelligitur principiis, quæ in jure publico, gentiumque a me stabilita sunt. Si qua necessitas ipsam religionem respicit; omninò justa est tolerantia causa, ne scilicet eradicatis zizaniis ipsum quoque triticum in discrimen adducatur, vel quia istud, ut in primis germinibus accidit, satis discerni ab illis haud potest, vel quia alterum alteri valdè implicatum, atque innexum est (3).

ARTICULUS VII.

DE OBJECTO POTESTATIS SACRÆ.

ARGUMENTUM.

§ I. *Triplex objectum potestatis sacræ.—Dogmata.—Moralis.* II. *Discipline summa genera.* III. *Ecclesia judicat quid divini juris, aut disciplinæ sit.*

§ I.

TRIPLEX OBJECTUM POTESTATIS SACRÆ.—DOGmata.—MORALIS.

✚ Ecclesia divinitus instituta ut regnum Dei, ea omnia inspicere, docere ac regere debet quod natura et finis hujus regni supponunt. Et eum illud constitutum sit *super fundamentum Apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu*, et in missione apostolorum ab ipsis prophetis magnificè prænuntiata et postea splendidis miraculis confirmata, fidei prædicationem, morum tutelam ac socialis politiæ satis perspectam habeamus, tria hæc, velut objectum triplex auctoritatis sacræ, agnoscere et confiteri tenemur: objectum enim, quamvis alia vulgari significatione utatur, philosophico tamen sensu ut materia, vel res accipitur circa quam aliquid versatur.


Dogmata docere, definire et immunia servare, et quidquid atinet ad diffusionem doctrinæ catholicæ, fides complectitur, quoniam a verbo Dei, sacra nempe revelatione, suam ducit originem quod in doctrina Ecclesiæ contentum reperimus.

Ad mores verò informandos, vitæ regulæ, divinæque gratiæ largitio plurimum pollent, postremam per sacramentorum participationem, primæ verò per sapientia statuta semper assequimur. Qua de causa sacræ auctoritatis pensum erga mores totum forè situm est in quibusdam vivendi regulis statuendis, et in sacramen-

(1) Vid. Instruct. Pastoral. de turbis Gallia, n. 165.

(2) S. Augustin. Epist. 152, non longè a principio.

(3) De exemplis, VV. Imperatorum vid. eundem S. Augustinum epist. 166, atque iis, quæ de Juliano imp. narrat adde Ammianum, L. 21, prope init. et l. 22.

torum administratione; de quibus omnibus fusè postea tractaturi, nunc ad tertium, hoc est, ad sacram Ecclesiæ disciplinam transeamus. 

§ II.

DISCIPLINÆ SUMMA GENERA.


Disciplina tum rationem vitæ, certi status propriam, ordinem actionum et negotiorum distributionem secundum regulas illi statui accommodatas, tum hasce ipsas regulas denotat; quo modo appellatur disciplina domestica, militaris, clericalis, monastica. *Ecclesiæ disciplina* per omnia juris sacri capita vagatur; quia etiam ea, quæ juris divini sunt, certò modo determinantur, et certis temporibus, etc. peraguntur; ita ut iis, quæ sunt immutabilia et substantialia religionis, semper adhæreat quidpiam *mutabile et accidentarium*; quod ad disciplinam Ecclesiæ refertur, et in quo ratio disciplinæ maximè est. Præcipua tamen capita disciplinæ sunt:

1. *Exercitia religionis ac pietatis*, quatenus auctoritate vel concessione publica potestatis ecclesiasticæ peraguntur.
2. Alterum disciplinæ caput *in politia cleri* situm est: ad quam referuntur tum ordinatio et cooptatio in statum ecclesiasticum, tum quæ de vita et honestate ejusdem status sunt præscripta.
3. Tertium disciplinæ caput efficit *regimen ecclesiasticum*, sive forma, ac modus, quo potestas sacra a Christo instituta sese exserit; alia enim est jurisdictio cleri inferioris, quæ ad forum internum spectat, alia jurisdictio externa, quæ episcopis inhæret, certisque portionibus communicatur cum aliis, sive aliorum potius opera exercetur, quales sunt vicarii episcoporum, etc.
4. Quartum denique disciplinæ ecclesiasticæ caput collocari potest in usu et administratione *temporalium bonorum*, quæ ad peragendum divinum cultum, ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, et subsidium pauperum ac miserabilium personarum sunt necessaria. Eodem reduci possunt genera diversa beneficiorum, eorumdem erectio, unio, divisio, suppressio, limites non tantum parochiarum, sed etiam diocesium, provinciarum, exarchatuum, patriarchatum; quæ quidem omnia a disciplina pendent.

§ III.

ECCLESIA JUDICAT QUID DIVINI JURIS, AUT DISCIPLINÆ SIT.

Si quis nunc circumspecte omnia, quæ hactenus jam enumeravimus, capita, satis distinctè intelliget, quid *disciplinæ ecclesiasticæ* nomine veniat, et quam ea latè pateat per omnes juris canonici titulos. His ita cognitis, ad generales de illa regulas animo informandas progredietur, in quibus primo loco statuenda hæc esse videtur: "Eadem potestas sacra, quæ ex institutione ac lege Christi de fide ac divino jure infallibiliter judicat, pari auctoritate definire potest, utrumne et quatenus ad disciplinam variabilem, an ad jus divinum immutabile quidpiam pertineat."

 ARTICULUS VIII.

CONSECTARIA EX HACTENUS DICTIS.

Postquam historico argumento, scripturæ sacræ, certæque traditionis auctoritate innixi, recta ratione duce, naturam, originem, æternamque ac divinam Ecclesiæ

constitutionem exposuimus, tempus est ut exindè quasdam veritates deductas ostendamus, quæ velut principia universi juris canonici, apud clariores scientiæ magistris meritò existimari solent.

I. Ecclesia est cætus omnium fidelium fidei, spei, et charitatis vinculis connectorum, Pastoribus in tota hierarchica serie statutis subjeutorum, legibusque constrictorum quæ ad illorum regimen, tutelam, spiritualemque finem a legitima auctoritate feruntur.

II. Ecclesia divina est origine, institutione, missioneque illi commissa.

III. Ecclesia est essentialiter *una, sancta, catholica, et apostolica*.

IV. Ecclesia plenissima auctoritate a Christo domino induta est, ad ea omnia gerenda, quæ ratione ipsius missionis illi commissa fuere.

V. Ecclesia est societas verè proprièque dicta. Circa istam verò assertionem paululum morari nobis oportere videtur, his temporibus præsertim, quibus nihil non fit ab heterodoxis, ut clavium potestas publicis, externis et temporalibus suis tum attributis, tum characteribus spoliatur: brevissima tamen erit oratio, ut veritas hæc absque nubibus eluceat, rectaque demonstratione solidissimè se deat. Societas est cætus hominum mutuarum relationum inter se vinculis connectorum, publico et legitimo regimine degentium, ideoque et auctoritati subjeutorum, et legibus ab illa statutis parentium. Sed hæc omnia in Ecclesia esse nemo non videt: ergo etc. Major est inter prima Jurisprudentiæ principia posita; minor ex omnibus huc usque præmonstratis dignoscitur, et conclusio logica deductione statuitur.

VI. Ex indè, ut Ecclesia sit verè proprièque dicta publica societas rectissimè colligitur: 1.º illam habere suam propriam constitutionem; 2.º attributis et iuribus omnibus ad publicam societatem spectantibus esse ab ipsamet sua divina institutione indutam; 3.º illi jure proprio intra objecti, et finis missionis suæ essentialiter inesse majestatem, imperium, plenamque jurisdictionem, ideoque potestatem tum leges ferendi et exequendi, tum iudicii præesse illisque finem statuere; 4.º esse per se prorsus independentem, ideoque minimè subjeci debere cuicumque aliæ humanæ auctoritati; 5.º vinculis quibusdam amicitiae, protectionis, etc. cum cæteris publicis societatibus esse connexam.

Adeamus ergo, his omnibus præstitutis, ad illas relationes accuratè definiendas, vitandi gratia plurima incommoda quibus illæ passim offenduntur. 